

subditorum, quibus in extremis quasi constituta,
contestari voluit Sinceritatem Affectus, tanto ani-
mo dignam; DEOque ter Optimo, Maximo, gra-
tias egimus submissas, cum susurrus gratus de Re-
convalescentia tanti Regis, qui Columnen in Ecclesia
nostra, & post DEUM Stator Reipublicæ sacræ, ad
aures nostras advolasset. De GUSTAVO PRIMO
Historia testatur, quod recens nati Caput naturali
pileo (vulgo Galeam) vocant, & pectus rubra cruce
insignitum fuerit. De CAROLO Nono, quod Re-
gnum illi delatum, ut cum Imperio Dignitatem no-
menque Regium capiat, nec diutius Regnum, velut
Navim, absque Governatore fluctuare patiatur. De
GUSTAVO denique MAGNO, quod periculosissi-
mis temporibus adierit Solium, & inter lachryma-
rum defluxum in Juventute dixerit: Quoties Pa-
triæ statum & tot Bellorum impendentes tempesta-
tes, ipsamque Parentis sui mortalitatem animo ver-
saret, non posse non mœrore affici, quod in tanti
Oneris Spem educaretur. In TUA MAJESTATE
agnoscimus, quod prælusit GUSTAVI supremi Im-
perio, quod deprædicavit universa Suecia in CA-
ROLO, quod denique pressit in initiis Regiminis
MAGNUM GUSTAVUM ADOLPHUM.
Faxit Supremum Numen, ut quam in primo GU-
STAVO observamus, Providentiam Divinam,
Galea